

nem ac gubernationem cuncta referenda. Deinde, nec dubitabimus etiam nostra ætate & futuris A temporibus, quantumvis insanat Mundus, nihil posse impios aduersum pios, nisi permiserit ille, cuius dominio cuncta sunt subiecta.

OBSER. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.*] Obserua diuisionē, fidem tribuit verbis, benignitatē operibus Dei. Inuenias qui verbis quidē sint benigni, operibus verò nihil minus, quàm id quod verbis pollicentur. In Deo autē utrobique veritas est, in verbis videlicet fides, ne quis frustrā illis credat: in operibus benignitas, ne à verbis discrepent opera. Difficile autē carni est, hanc verborū Dei fidē ac veritatem, & operum benignitatem in omnibus cognoscere, & spē indubitata expectare, præsertim ubi diuersum accidere videtur. Quapropter quæ hęc canuntur, eiusmodi sunt, vt non nisi à veris fidelibus capiantur, qui soli suauitatem huius consolationis sincera fide experiuntur.

OBSER. *Sustinet Dominus omnes eos qui corruūt.*] Primū cōsideremus hoc loco, qualia sint opera illa, quibus benignitas Dei erga miseros mortales declaratur: *Sustinet*, inquit, *prolabentes, & erigit depressos*: hoc est, necessitatibus miserorū ac periclitantium succurrit. Sunt horū duo genera. Vnū est eorum, qui vel morbo, vel fame, vel etate corruunt. Hos sustentat, dum vires illis, vel præstito cibo, qua de re verba sequenti canit, vel restituta sanitate cōfirmat. Alterū eorū est, qui per violentiam malorū deprimuntur, illos erigit, dum ad se clamantes exaudit, & periculis liberat. Huiusmodi diuinæ benignitatis opera pius animus quotidie diligenter obseruabit, vt in fide diuinæ bonitatis alatur, & sese ad studium benignitatis erga miseros declarandæ, exemplo Patris cœlestis instituat & accingat.

Poterit autem hęc queri, quomodo de Deo dicat Propheta, quod *omnes casuros sustentet & depressos erigat*: cum manifestissimū sit, quod multi corruant, & innumeri sic deprimantur, vt in hac vita nunquam erigantur. Respondendū est, loqui Prophetam de eo, quod nemo sustentetur ne prolabendo pereat, nemo prolapsus erigatur, nisi à solō Deo, qui solus est sustentator & conseruator omnium. Non est animus Prophetæ, vt dicat neminem prolabi, nemine prolapsū perire: sed hanc Deo gloriam tribuit, quod sine illius ope & virtute nemo sustentetur, nemo erigatur.

OBSER. *Oculi omnium in te sperant.*] Obseruandum est hęc, quod non simpliciter dicit, *Omnium sustentatio à te pendet*: sed, *Omnium oculi in te sperant, vel abs te expectant*. Ergo hoc est secreto quodam instinctu cōmuniter omnium naturæ indicium, vt premente necessitate, ad Dominum, tanquam conditorem ac cōseruatorem suum suspirent, & opem ab eo expectent, quamuis id pauci homines obseruent. Ipsa naturæ necessitas à Deo pendet, & opem ab illo expectat.

Et tu das illis escam in tempore suo. Aperis manum tuam, &c.] Quid sit in istis duobus versibus 16. & 17 obseruandum, vide Psalmo 104. versibus 27. & 28.

OBSER. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis.*] Considerandum hęc est, quod nō solū in operibus eius, sed & in vijs: id est, studijs illi consuetis & vsitatis, ijsq; omnibus, *Dominum canit esse iustum*. Poterat dicere, *Sapiens est*: vel, *Potens est Dominus in omnibus factis suis*. Verū non sic pertinenter ad propositum sese accōmodasset, si dixisset: *Sapiens est, vel potens est Dominus in omnibus vijs suis*. Neq; enim sic studet esse sapiens ac potens in operibus suis, sicuti totus in id incumbit, vt bonus sit, probus, ac benignus omnibus: nec tantum consolationis miseris & afflictis, diuinæ sapientiæ ac potentiæ, quantum diuinæ benignitatis adfert prædicatio.

OBSER. *Propè adest omnibus inuocantibus se.*] Vide suprā Psal. 86. vers. 5. quid hęc sit obseruandum. Hęc tamen notandum est, quid requiratur ab illis, qui Dominum inuocant: hoc videlicet, vt *inuocent eum in veritate. Voluntatem timentium se facit.*] Obserua hęc, qualem se Deus illis exhibeat, qui se colunt. *Timentes Dei*, sunt cultores Dei. *Colere Deum*, est voluntati illius studere, & per omnia esse addictum. Igitur vt illis respondeat, sicut ipsos voluntati suæ studiosos reperit, ita vicissim voluntati illorum faciendæ studet. Imò, sicuti Psal. 25. secreta sua illis reuelat.

OBSER. *Et clamorem eorum exaudit, & seruat eos.*] Obseruemus hęc, de qua sit voluntate intelligendum, quod dicit: *Voluntatem timentium se facit*, de illa videlicet, qua quæ necessaria sunt, expetūt. Ideo rectè subiecit: *Et clamorem eorum exaudit, & seruat eos*, quibus verbis satis innuitur, non esse sperandum nec petendum etiam à Deo, vt quæ citra necessitatem caro nostra petit, faciat & præstet.

OBSER. *Custodit Dominus omnes diligentes se.*] Quid igitur? Annon & eos custodit, qui se non diligunt? Si non benefacit, nisi se diligentibus, quomodo bonus est omnibus: & quomodo à nobis requiritur, vt nō solū illis, qui nos diligūt, beneficiamus, sed & illis qui nos odio prosequuntur, vt simus filij Patris nostri, qui in cœlis est? Matth. 5. Considerandū hęc est, sicut & suprā vers. 9 de bonitate Dei meminimus, *custodiam Dei esse duplicem: generalem vnā, specialem alteram*. Generalis est, qua custos est omnium eorū quæ cōdidit. Specialis est, qua singulariter eos custodit, qui se diligunt. Quomodo non custodiret ac diligeret diligentes se, qui etiam immeritos custodit ac diligit? Ita & pij diligunt in genere omnes etiam inimicos. Verū ea cōmunis dilectio non tollit singularem illā, qua diligunt amicos. Etenim quæ esset ista barbaries & inhumanitas, qua corda mordaliū sic obdurarētur, & *ἀσπλαγξ* redderentur, vt nullo amico affectu diligentium se amori responderent? Qui electos suos adeo bonos perficit, vt etiam inimicos diligant, non reddit eos vsque adeo inhumanos, vt amicos non diligant.

Et omnes impios perdet.] De perditione impiorum, vide Psal. 1. vers. penultimo.

OBSER. *Laudem Domini loquetur os meum.*] Obserua hoc versu, quomodo non solū ore suo Dominum laudare proponat, sed optet etiam vt id faciat omnis caro, idque in sempiternum. Sic sunt animati pij. Illi demum verè & ex animo laudant Dominum, qui laudari illum cupiunt ab omnibus.

Himmun ha
Huius: id est
& felicem
miseris & afflictis
Felix ille
Qui se
Qui fa
sunt compedi
Dominus
Dominus
viam
Dominus
Halleluiah.
Populum & videt
Lat. legant: Sustinet
Halleluiah.] Sic
dem Dei excita
Lauda anima m
prouocat, cum d
Laudabo Domi
omnium esse
Rem autem ear
Nolite confidere
eorum qui prin
vix non tam por
tur, quod illi, vbi
tum animos ad
fugit Spiritus
tis quātus sit, ve
debeat, subiung
quod ab eo exp
iam ipsius retin
in eiplo die, qu
eum prestare p
Felix ille, cui D
Deum collocat
Qd. Vt miser el
verum adiutore
Qui fecit cælo
sperat, encomia
debeat. Principi
solus ac verus C
te premanatur,
iuare non solu
Qui fidei ac ver
quiquam à se p
Qui facit iudic
quid auxiliij in b
Carpenem esu
necessitatis hui
Dominus solui
re. Nam Domi
Dominus illum
succurrit diuina
inquit, erigit dep
pressos.